

ret, ita ut periret forma et figura conspicua membrorum. Argumentum igitur Brentii tam est admirabile, ut plane contrarium efficiat ejus, quod efficere debebat.

Sed hoc loco præterire non possum illa verba Brentii: « Loco circumscriptum esse, et de loco in locum ambulare, non est divinæ excellentiæ, sed corporeæ imbecillitatis; non cœlestis majestatis, sed terrestris parvitatatis; non spiritualis pulchritudinis, sed carnalis deformitatis. » Quid enim aliud spirant hæc verba, quam verissimum Eutychnismum? Nam si Christi humanitati tollas esse corporeum, terrenum, et carneum, ut

Brentius tollit, et tribuas divinam excellentiam, cœlestem majestatem, et spirituales pulchritudinem, ut Brentius tribuit; nonne manifeste mutabis humanitatem in Deitatem, et mysterium Incarnationis omnino dissolves? Nimirum huc Satanas ab initio spectabat, cum Lutherum excitavit, et paulatim per Indulgentiarum, Purgatorii, et similibus rerum reprehensionem, tandem eo res deveniret, ut Christus ipse, et summa Fidei nostræ mysteria impie abnegarentur. Sed de his satis. Veniendum enim jam est ad postremas de Christo disputationes.

CONTROVERSARUM

DE CHRISTO

LIBER QUARTUS

DE CHRISTI ANIMA.

CAPUT I.

Proponitur controversia prima de scientia animæ Christi.

Discernimus hactenus de Christi Divinitate, et Incarnatione; nunc de anima ejus, non quidem omnia quæ a Theologis disputari solent, sed ea solum, quæ ab hæreticis hujus temporis in dubium revocantur, explicare aggrediamur.

Duæ sunt igitur de Christi anima hujus temporis controversiæ una de perfectione ipsius; altera de descensu ad inferos: ac ut de priore prius dicamus. Fuit hæresis antiqua Agnoitarum, qui, auctore Themistio Diacono, ut referunt B. Liberatus in Breviar. cap. 19. et B. Gregorius lib. VIII, epist. 42. docebant, Christum ignorasse diem judicii: neque vero divinitati Christi, sed animæ eam ignorantiam tribuebant, ut planum est ex eorum argumento; sic enim colligebant. Verbum accepit corruptibile corpus, ut moriendo pro nobis, nos a morte liberaret; ergo accepit etiam nostram ignorantiam, id est, mentem humanam ignorantem, ut nos ab ignorantia liberaret.

Hanc hæresim sequuntur omnes fere hujus temporis hæretici, qui asserunt, Christi animam paulatim didicisse, quæ vere ignorabat, et aliquid etiam egisse, quod corrigi debuisset: quod etiam si peccatum fuisse illi

non audent dicere; tamen peccatum revera fuit, si corrigi debuit.

Martinus Lutherus in Conc. de Nat. Dom. tractans locum Marci XIII. *De die illo*, etc.: « Intempestivam, inquit, narrationem quidam hic afferunt dicentes, Filius nescit, id est, noluit scire. Quid opus est istis commentis? Christus verus homo fuit, quare ut alius purus sed sanctus homo, non quolibet tempore cogitavit, dixit, voluit, intellexit omnia. » Et infra: « Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audivit, atque sensit, ita etiam corde non omnia semper agnovit, sed quantum illud duxit ac docuit Dominus. » Similia habet idem Lutherus in hom. Dom. I. post Epiph. explicans illud *Proficiebat sapientia et gratia* (1).

Zwinglius quoque in Confess. ad Carol. V. art. I. dicit, Christi sapientiam paulatim crevisse.

Bucerus in cap. XXIV Matth. : « Ut ergo, inquit, omnia alia humanæ infirmitatis in se recepit, hominibus per omnia similis factus, excepto peccato, ita etiam humanam scientiam, et ignorantiam, Rationem videlicet mentemque humanam, quæ per intervalla augetur, sive accrescit, sive diminitur, assumpsit; secundum quam nimirum aliquid nescire dicitur; ideo alibi habetur: *Proficiebat, sapientia, ætate et gratia.* »

Calvinus in cap. XXIV Matth. : « Porro ter et quater, inquit, insanus foret, qui se gravatim ignorantiam subiceret, quam ne ipse quidem Dei Filius nostra causa subire abnuisset etc. » Similia habet in cap. II. Luc. et utitur argumento eodem, quod Agnoitæ.

(1) Luc. II, 52.

Theodorus Beza in lib. cont. Andream Jacobi de duab. nat. Chr. cum ei objiceretur, quod Christi animæ ignorantiam tribuisset; non negavit, sed respondit, se secutum esse Lutherum, et Calvinum.

Rursum Calvinus in cap. XXVI Matth. dicit: « Christi orationem in horto, abruptum fuisse votum. » Et infra: « Metu perculsus, inquit, et anxietate constrictus fuit, ut necesse foret, infer violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare. Hæc ratio est, cur mortem deprecatus, mox sibi frenum injiciat, Patrisque imperio subjiciens, votum illud subito elapsam castiget ac revocet. » Nota illa verba: « Subito elapsa; » item illa: « Castiget, ac revocet. » Et infra: « Videmus, inquit, ut Christus statim ab ipsis carceribus affectum suum cohibeat, sequi ipsum mature cogat in ordinem. » Ibidem: « Non fuit, inquit, hæc meditata Christi oratio, sed vis et impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio; eadem vehementia præsertim celestis decreti memoriam illi abstulit. » Hæc ille; qui non ignorantiam modo, sed etiam oblivionem, et peccatum Christo tribuere non veretur.

Fundamentum suæ sententiæ constituunt in quinque locis Scripturæ. Primus est Heb. II et IV: *Debit per omnia fratribus similari absque peccato.* Secundus est Luc. II: *Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.* Nam in Græco non est, plenus, sed qui implebatur; non enim est πλήρης sed participium præsens πληρούμενος. Tertius est ibidem: *Jesus autem proficiebat sapientia, ætate, et gratia.* Quartus est Marci XIII: *De die illo nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi Pater.* Quintus est Matth. XXVI: *Si possibile est, transeat calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu (1).* Videtur enim Dominus revocare et corrigere priorem orationem suam. Et præterea, vel sciebat Dominus possibile fuisse ut transferretur calix, vel sciebat id fuisse impossibile, vel ignorabat possibile ne esset, an impossibile. Si ignorabat; ignorans erat: si sciebat esse possibile; cur dubitabat? si sciebat esse impossibile; cur petebat? Denique, nonne venerat pro genere humano moriturus? cur igitur mortem deprecabatur?

At Catholicorum communis sententia sen-

per fuit, Christi animam ab ipsa sua creatione repletam scientia et gratia, ita ut nihil postea didicerit, quod antea nesciret, nec ullam actionem fecerit, aut facere poterit, quæ emendatione egerit. Ita docent cum Magistro omnes Theologi in III. dist. 13. et etiam omnes Patres, ut mox videbimus.

CAPUT II.

Probatur veritas ex Scripturis.

Paucis igitur nobis demonstrandum est, Christi animam ab ipsa sua creatione sapientia et gratia plenissimam fuisse. Id quod Scripturarum testimoniis, Patrum doctrina, et argumentis ab ipsa ratione petitis probare conabimur. Habemus in primis testimonium Isaia cap. XI. *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientie etc. (2).* Quem locum de Christo omnes omnino intelligunt: et hoc idem significabant illa omnia loca, ubi dicitur Christus unctus a Deo Spiritu S., ut Psalm. XLIV: *Unxit te Deus Deus tuus etc.* Et Isaia LXI: *Spiritus Domini super me eo quod unxerit me.* Et Act. IV: *Convenerunt vere adversus sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti.* Et Act. X: *Unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute (3).*

Sed circa hæc loca est duplex difficultas. Prima, quia in nullo horum locorum habetur, quod ista unctio sit facta in ipsa conceptione, imo videtur facta anno 30, quando super eum descendit Spiritus S. in specie columbae, ut indicare videtur S. Hieronymus in Comm. Isaia cap. XLI.

Altera difficultas est, quia licet constaret, in ipsa conceptione fuisse Christum unctum Spiritu S., et repletum omnibus donis; tamen adhuc potuisset postea augeri sapientia et gratia. Nam Luc. I. dicitur de Joanne: *Et Spiritu S. replebitur adhuc ex utero matris suæ (4);* et tamen omnes fatentur, illum auctum postea multis donis fuisse.

Respondeo ad primam difficultatem: istam unctionem non potuisse fieri nisi ipsa

conceptione. Primo, quia verba Isaia hoc significant: *Egredietur, inquit, virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientie etc.* Conjungit enim Isaia eum ipsa Incarnatione, seu conceptione Christi ex Virgine (quid enim est aliud virga florens, quam Virgo concipiens? fructus siquidem in arboribus, partum, flos conceptum designat) descensum Spiritus sancti super Christum cum omni donorum suorum copia. Itaque super ipsum florem, id est, super Christum hominem nondum natum, sed conceptum, Spiritus sanctus descendit, eumque sapientia, intellectu, consilio, fortitudine, scientia, et pietate replevit.

Secundo, quia si anno demum 30, Dominus Jesus unctus fuisset, non dixisset Angelus ad pastores Luc. II. *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus (1).* Quid est Christus, nisi unctus? jam tunc erat unctus, et Christus jure dici poterat, cum ex Virgine nasebatur.

Tertio, quia Jo. I. *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis (2).* Ubi illud *plenum gratiæ* cum sit nominativus masculini generis in Græco textu, πληρῶς conjungi debet cum illa voce *Verbum* Græcè λόγος, ut sensus sit *Verbum caro factum est plenum gratiæ et veritatis*; proinde hic etiam cum Incarnatione conjungitur plenitudo gratiæ.

Quarto, quia si alio tempore, quam in conceptione facta est unctio, maxime in anno trigesimo factam dicamus necesse est, quando descendit super eum Spiritus S.: at tunc non est facta; nam ut Augustinus dicit lib. XV Trinit. cap. 26. absurdissimum est dicere, Christum anno 30. accepisse Spiritum sanctum, cum ejus Præcursor acceperit in utero matris suæ. Et præterea Luc. II Christus adhuc infans dicitur plenus, seu quod implebatur sapientia, et quod gratia Dei erat in illo; non ergo exspectavit spiritum sapientie et gratiæ per annos 30.

Neque obstat, quod Hieronymus in cap. LXI Isaia dicit, unctionem Christi expletam anno ejus 30. Voluit enim Hieronymus dicere, Christum, qui fuerat unctus in conceptione sua invisibiliter, fuisse unctum in Baptismo visibiliter, id est, manifestatam

tunc fuisse exteriori signo unctionem, quam intus antea jam acceperat.

Ad secundam difficultatem respondeo: licet Joannes, et alii homines ita fuerint pleni initio, ut tamen adhuc poterint proficere; tamen Christum non potuisse proficere, quia initio accepit gratiam sine mensura; alii vero acceperunt eum mensura. Nam de Christo dicit Jo. cap. I: *De plenitudine ejus omnes accepimus (3);* non enim secundum mensuram dat Deus spiritum, nimirum, Filio suo: de aliis dicitur Ephes. IV: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Unde dicitur Joan. ult.: *Domine tu omnia nosti.* Et Coloss. II: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (4).*

CAPUT III.

Idem probatur ex doctrina Patrum.

Accedant nunc testimonia Patrum. Eusebius lib. X. demonst. Evang. cap. ult., exponens Psalm. XXI. ex illis verbis: *De ventre matris mee Deus meus es tu (5)* deducit, Christi animam in utero Virginis perfectissimam cognitionem, et constantiam habuisse, immo et Deum vidisse, cui cognitioni nihil addi potest: « Cum, inquit, adhuc intra cellam gestantis me in utero laterem, te tamen Deum meum videbam etc. » Et supra: « Patabar, ut reliqui hominum infantes, imperfectus esse, et absque usu rationis; non autem eram talis, licet mihi cæteris hominibus simile esset corpus. »

Ambrosius lib. V de Fid. cap. 18. proponit quorundam sententiam, qui dicebant, Christum ut Deum omnia scivisse, non autem ut hominem, quia scriptum sit: *Proficiebat sapientia etc. (6).* Deinde refellit, dicens: « Hæc tamen alii dicant; ego autem multo magis arbitror, quia Filius qui cum hominibus conversatus est, et hominem egit, carnem suscepti, nostrum assumpsit affectum, ut nostra ignorantia nescire se diceret, non quia aliquid ipse nesciret etc. » Gregorius Nazianzenus Orat. in Basil., parum a med.: « Proficiebat, inquit, sapien-

(1) Hebr. II, 17; Luc. II, 40; Ibid. II, 52; Marc. XIII, 32; Matth. XXVI, 39. — (2) Isai. XI, 1. — (3) Psal. XLIV, 8; Isai. LXI, 1; Act. IV, 27; Act. X, 38. — (4) Luc. I, 15.

(1) Luc. II, 11. — (2) Joan. I. — (3) Joan. I, 16. — (4) Eph. IV, 7; Coloss. II, 3. — (5) Psal. XXI, 11. — (6) Luc. II, 52.

tia, non quod hæc in illo incrementum acciperent, (quid enim eo, quod a principio perfectum erat, perfectius esse possit?) sed quod hæc paulatim detegerentur, et elucerent. »

Hieronymus in cap. XI. Isaia dicit, in Christum ex Maria conceptum descendisse Spiritum sanctum, non per partes ut in alios Sanctos: « Sed juxta Evangelium quod legunt Nazaraei, inquit, Descendet in eum omnis fons Spiritus sancti. » Et in cap. XXXI. Hier. in illud: *Mulier circumdabit virum* (4). « Absque viri semine, absque ullo coitu, inquit, femina circumdabit virum gremio uteri sui, qui juxta incrementa quidem ætatis per vagitus et infantiam proficere videbitur sapientia et ætate: sed perfectus vir in ventre Virginis solitis mensibus continebitur. »

Athanasius Sermon. 4. cont. Arian. ult. med. simpliciter negat, Christum in sapientia profecisse: « Estne, inquit, ille homo, ut vulgus hominum, at Deus humanitate, et carne indutus? Quod si vulgaris est homo, esto, ut pro conditione aliorum hominum profectus capiat. At istiusmodi est Samosatenensis sententia, quam vos toto animo et ope fovetis etc. » Verum est quidem, Athanasium præcipue loqui de Christo qua Deus erat, cum negat eum profecisse: tamen cum solum admittit profectum quoad externam demonstrationem sapientiæ, et simpliciter negat, Christum interno profectu ullo modo auctum esse; satis aperte significat, se loqui etiam de Christo qua homo erat.

Augustinus lib. II de Peccat. mer. et rem. cap. 29: « Quam, inquit, ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est ut habitaret in nobis: nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis. » Et infra: « Sed quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia etc. » Ubi Augustinus solum ætate concedit Christum profecisse, et mutationem passum, non autem in dotibus animæ. Et lib. XV. Trin. cap. 26. absurdissimum iudicat, Christum accepisse Spiritum sanctum alio tempore, quam in ipsa conceptione.

Cyrillus lib. XX. thes. cap. 7. aperte dicit, nihil additum Christo, etiamsi legamus eum profecisse sapientia et gratia. Et lib. I.

in Jo. cap. 17: « Quia magis eum, inquit, in dies homines admirabantur, illorum potius de Jesu opinio, quam illius perfecta crescebat gratia. » Gregorius lib. VIII. epist. 42. laudat Eulogium qui scriperat contra Agnoitas, et ipse etiam eam heresim breviter refellit. Sophronius quoque in epist. ad Serg., quæ legitur in VI. Synodo, act. 11. damnat Themistium auctorem Agnoitarum.

Beda in hom. Dom. I. post Epiph. « Juxta hominis, inquit, naturam proficiebat sapientia, non quidem ipse sapientior ex tempore existendo, qui a prima conceptionis hora spiritu sapientiæ plenus permanebat, sed eandem, qua plenus erat, sapientiam cæteris ex tempore demonstrando etc. » Damascenus lib. III. cap. 22: « Qui, inquit, proficere ipsum dicunt sapientia et gratia, et horum accessionem additionemque subinde suscipientem, non secundum hypostasim adorant unionem etc. »

Bernardus hom. 2. super Missus est: « Sive latens, inquit, in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, aequè profecto plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacumque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in conceptione sui accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur. » Vide quoque Anselmum lib. I. Cur Deus homo, et Theophylactum in II cap. Luca.

CAPUT IV.

Idem probatur rationibus.

Adamus postremo argumenta ex ratione petita. Primum. Non est ullo modo credibile, ut Verbum personaliter factus sit homo, et non simul effuderit in ipsa Incarnatione in illam humanitatem omnia dona, quorum capax erat: nam si fecit illam animam suam propriam, ita ut vere dicitur et sit anima Dei; quomodo verisimile est, non illam continuo sapientissimam reddidisse? Absurdum est enim, animam Sapientiæ aliquando insipientem fuisse; et hoc est, quod urget Damascenus cum ait, eos non credere Incar-

(1) Jerem. XXXI, 22.

nationem, qui credunt, illam animam paulatim profecisse.

Secunda ratio. Sapientia et gratia Christo homini naturalis fuit, ut docet Augustinus in Enchir. cap. 40. non quidem quod non fuerit a Deo animæ infusa, sed quia in Christo ab intrinseco principio, et per modum naturæ fluabat: siquidem ipse Christus seipsum gratia et sapientia replebat, id est, ex una Christi natura in alteram hæc dona redundabant; ergo non accepit Christus illam sapientiam, vel gratiam post Incarnationem, sed in ipsa Incarnatione: nam ideo dicitur naturalis, quia statim et abundantissime manavit.

Tertia ratio. Christus homo in Incarnatione cepit esse Filius Dei; ergo tunc debuit repleti omnibus donis, nam Filius est hæres omnium honorum paternorum; nec debuit expectare Christum successionem ex morte Patris, ut notum est. Et hæc esse videtur ratio Cyrilli lib. I. in Joan. cap. 17. ubi dicit, Deum dedisse Christo omnem sapientiam et gratiam, quia Filius erat: cæteris autem dedisse munera quædam, quia servi sunt, ut etiam legitur fecisse Abraham Genes. XXV. qui filio Isaac dedit omnia sua adhuc vivens; filius autem concubinarum largitus est munera.

Quarta ratio. Christus homo in ipsa Incarnatione factus est Caput, non solum hominum, sed etiam Angelorum, ut omnes concedunt; ergo debuit tunc repleti sapientia, gratia, et ipsa etiam beatitudine: nec enim conveniebat, ut Caput esset minus ornatum, et minus sapiens, quam sint membra.

Quinta ratio. Adam creatus est sapientissimus, ut ex eo colligitur, quod mox a creatione imposuit nomina omnibus animalibus Genes. II. ergo multo magis secundus Adam debuit in ipsa conceptione sapientissimus fieri.

CAPUT V.

Solvuntur argumenta adversariorum.

Ad rationem Agnoitarum et Calvinistarum, quam proponit B. Gregorius, et non

solvit, dicens se alio tempore soluturum; respondeo: Christum accepisse duo quædam ex nostris rebus in Incarnatione. Primo, naturam integram cum omnibus quæ ad ejus perfectionem pertinent: nam, ut ait in Symbolo Athanasius: *Perfectus Deus est Christus, et perfectus homo*. Secundo, accepit aliquos defectus consequentes naturam nostram corruptam, ut mortem, famem, sitim etc. non tamen omnes defectus: nam non accepit peccatum, fomitem, ignorantiam ejus rei causa est, quoniam cum defectus non pertineat ad essentiam, vel perfectionem naturæ assumptæ, ex ejusmodi defectibus non debuit accipere nisi illos, qui conducebant ad finem Incarnationis, qui erat salvare homines. Jam vero moriendo et patiendo, poterat mereri apud Deum, quia patientia virtus est: at vero fomes, peccatum, ignorantia, non erant utilia ad salvandos homines, sed potius noxia; non enim peccatum peccato tolli potest, sicut morte mors occisa est.

Cum igitur Scriptura docet: *Christum debuisse assimilari fratribus per omnia absque peccato* (1). Non oportet inde colligere, assimilari etiam debuisse in ignorantia, quæ non est peccatum, et tamen est in nobis. Nam cum excipitur peccatum, per illas voces *absque peccato* intelliguntur excepta non solum peccata, sed etiam omnes illi defectus, qui non erant utiles redemptioni. Et cum dicitur: *Per omnia assimilari*, nomine omnium intelliguntur omnia, quæ ad perfectionem naturæ pertinent, vel ad redemptionem conducunt. Alioqui si omnia deberent esse in Christo quæ sunt in nobis, non debuisset concipi de Spiritu S., nec nasci ex Virgine, nec in infantia impleri sapientia, nec carere rebellionem partis inferioris, imo etiam oportuisset, eum febri, podagra, cæterisque morbis afflicti.

Adde, quod nusquam habetur illa sententia, ut ab eis citatur: nam Hebr. II. sic legitur: *Debit per omnia fratribus similari*; sed non habetur hoc loco, *excepto peccato*: et sensus est, *Debit assimilari per omnia, quæ ad naturam pertinent*. Hebr. IV. legitur: *Tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato*. Et sensus est: *Tentatus fuit Christus omnibus modis, id est, expertus est omnia mala, quæ solent homines perpeti in corpore, in anima, in honore, in facultatibus, in ami-*

(1) Hebr. II, 17; IV, 15.

cis, et consanguineis : et tamen nulla harum tentationum eum ad peccatum unquam ad- duxit.

Jam vero ad alterum Scripturæ testimonium, cujus tota vis posita est in illa voce Græca *παραρτίωνος*; Respondeo primo : illud *παραρτίωνος* aliquando significare *redundans*, quod est idem quod *πληθύνω*, et hanc significationem secutus est noster Interpres qui vertit *plenus*.

Secundo dico : si legamus passivè *implebatur*, sensum hunc esse, quod sapientia tam increata, quam creata, quæ in ipso erat, replebantur in dies magis organa corpore, et movebantur, atque aptabantur ad opera excellentiora faciendâ. Quæm sensum indicat Athanasius Serm. 4. cont. Arian., et quadrat hic sensus valde textui. Puer enim crescebat corpore, et roborabatur spiritu, non extrinsecus adveniente, sed qui in ipso erat, ut opera perfectiora faceret, et pariter implebatur sapientia, non aliunde adscita, sed ea quæ in ipso erat diffundente se, et possidente omnia membra et omnes sensus. Unde sequitur : *Et gratia Dei erat in illo* (1); non ait : *Acquisivit gratiam*, sed *gratia erat in illo*, eum fovens et dirigens. Sicut ergo in ipsa conceptione, Spiritus et sapientia replevit illud corpusculum tanquam parvum templum suum; ita postea crescente illo templo, quodammodo se extendebat spiritus, et totum replebat.

Tertio, idem etiam dici posset, quod replebatur sapientia acquisita per experimentum proprium : tametsi enim nihil ignoraret theorie, cum haberet infusam scientiam omnium rerum; tamen practice ignorabat illa omnia, quæ non fuerat expertus. Quomodo Paulus dicit, eum didicisse obedientiam per ea quæ passus est Hebr. V. Et hæc videtur expositio Beati Ambrosii lib. de Incarn. Dom. Sacram. cap. 7. ubi dicit, Christum habuisse naturam humanam initio perfectam, et tamen sensu humano profecisse.

Restat tertium Scripturæ testimonium ex cap. II Lucæ : *Jesus autem proficiebat sapientia, ætate, et gratia*. Sed est certa et communis expositio eorum Patrum, quos supra citavimus, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, Damasceni, Theophylacti, Bedæ, Anselmi, Bernardi, et aliorum, quod Christus profecerit sapientia et gratia, opinione hominum, quibus in dies magis aperiebat sapientiam suam.

(1) Luc. I, 15; II, 11. — (2) I. Reg. II, 26.

Quomodo Sol, quo magis ascendit versus medium cœlum, tanto magis dicitur proficere in lumine et calore, non quod in se fiat lucidior et calidior, sed quia magis apparet ejus virtus.

Addit Damascenus loc. not., quod sicut Episcopus dicitur proficere in Ecclesia sua suis concionibus, quando populus proficit; et Doctor in schola dicitur proficere, quando doctos reddit auditores; itam etiam Christus dici potest profecisse, quia fecit alios proficere.

Sed instat Calvinus, nam Lucas dicit, Christum profecisse apud Deum et homines : at non profecit in opinione Dei, nec fecit proficere Deum.

Respondeo : illud *Apud Deum et homines* debere conjungi cum profectu in gratia, non cum profectu in sapientia vel ætate. Non enim solemus dicere, aliquem profecisse sapientia, vel ætate apud Deum et homines; nam sunt absoluta res, sapientia et ætas, nec ab alio pendent : at rectissime dicimus, aliquem proficere in gratia apud alios, quibus in dies fit gratior.

Christus igitur dicitur, gratia apud Deum et homines profecisse, quia quotidie magis diligebatur ab hominibus, et recipiebat signa benevolentiae Dei, sive, quod est idem, crescebat quotidie in externis signis benevolentiae Dei et hominum, sicut de Samuele dicitur I Reg. II : *Puer autem proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Deo, quam hominibus* (2).

Præterea, proficiebat apud homines sapientia, quatenus, ut dictum est, multiplicando opera sapientiae, faciebat alios proficere, et ipse etiam quotidie sapientior apparebat. Præterea secundo, per opera plena sapientiae et gratiae quæ edebat, vere proficiebat sapientia et gratia apud Deum et homines, quia faciebat opera dignissima, et maxime meritoria, tam judicio Dei, quam hominum.

Jam de quarto Scripturæ testimonio varie sentiunt Patres. Ambrosius lib. V de Fid. cap. 8. et Hieronymus in cap. XXIV Matth. suspiciantur, illud *Neque Filius* additum ab Arianis. eo quod non habeatur in omnibus Græcis codicibus : tamen quia Marci XIII, in omnibus habetur, aliter respondendam est.

Prima sit expositio Gregorii lib. IV, epist.

42. ad Eulog., ubi approbat Eulogii sententiam, quod Christus dicatur nescire diem illum, non in persona sua, sed in persona Ecclesiae. Multa enim, quæ dicuntur de Christo, intelliguntur de corpore, non de Capite. Contra hoc tamen posset objici : quia tunc non debuisset Dominus dicere : *Neque Angelis, neque Filiis*, nam cum Angelis contineantur etiam in corpore Christi quod est Ecclesia; satis erat dicere : *Filius non novit*. Et fortasse propterea Gregorius alias duas expositiones addidit, quia videlicet hæc prima non omnino satisfacere videbatur.

Secunda expositio ejusdem Gregorii ibidem, necnon Ambrosii in cap. XVII Lucæ, Nazianzeni Orat. 4. de Theol., et Cyrilli lib. IX. thes., cap. 4. est, quod Christus homo dicitur nescire eum diem, quia non sciebat ut homo, id est, humana scientia, sed divina revelatione, seu infusione. Sed non videtur plane id etiam satisfacere : nam Apostoli cupiebant a Christo discere illum diem; ipse vero respondit, se non scire, ac propterea etiam non posse docere : at si sciebat divina revelatione, certe poterat docere.

Tertia expositio est Epiphanii in Ancor. et Chrysostomi hom. de Trin. et Bernardi lib. de XII grad. humil. quod dicitur nescire, quia non sciebat practice : quomodo Adam dicebatur ante peccatum non scire bonum, et malum : Pater autem dicitur scire, quia practice scit, quandoquidem omnem judicium dedit Filio et ipse quodammodo jam judicavit. Sed neque hæc videtur admodum quadrare : nam Apostoli non cupiebant scire practice, sed theorie; ac proinde ad rem non pertinebat, sive sciret Dominus practice eam diem, sive non sciret.

Est igitur postrema expositio ejusdem S. Gregorii loc. not. necnon Ambrosii lib. V de Fid. cap. 8. Hieronymi, Chrysostomi, Theophylacti in cap. XXIV Matth., Basili lib. IV in Eunom. et Augustini lib. I de Genesi, cont. Manich. cap. 22. et lib. I Trinit. cap. 12. quod Filius dicatur nescire, quia non sciebat ad dicendum aliis, et quia eos nescientes faciebat. Quæ quidem explicatio est ad propositum hujus loci. Vult enim Dominus reddere causam, cur non manifestet eum diem, et dicit causam esse, quia non scit, id est, non didicit hoc a Patre, ut revelaret aliis, sed ut sibi secretum hoc servaret.

Præterea, Scriptura passim ita loquitur, ut Genes. XXII : *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*, id est, *nunc ostendi tibi et aliis quantum me colas*. Jo. XV : *Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Et tamen non omnia simpliciter eis indicaverat. Nam cap. XVI, ait : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (1). Dixerat ergo illis, quantumcumque audiverat a Patre ad dicendum illis : ita igitur hoc loco dicit, se non scire, nisi quæ sciebat ut illis diceret.

Sed contra objicit Calvinus : nam cum Christus dicat : *Nemo scit neque Angelis, neque Filiis* (2), si illud *Neque Filius* sic intelligatur, quod Filius scit quidem, sed non ad dicendum; ergo etiam de Angelis dici poterit, illos quidem scire, sed non ad dicendum. Præterea posset objici : nam cum dicimus, Filium non scire ad dicendum; vel intelligendum est, non scire ad dicendum ulli; vel non scire ad dicendum Apostolis. Si primum, falsum est, Filium non scire ad dicendum, nam dixit Spiritui sancto. Si secundum, falsa est illa exceptio, nisi solus Pater, nam nec Pater sciebat ad dicendum Apostolis.

Respondeo ad primam objectionem : ex verbis Domini habetur, nec Angelos, nec Filium scire ad dicendum : utrum autem alio modo sciant, hic non explicatur; sed tamen scimus aliunde Christum scire : tum quia ipse est Judex constitutus; tum etiam *quia in eo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (3). De Angelis vero credimus, eos non scire ullo modo : tum quia non est eis necessaria hæc cognitio; tum etiam quia nusquam legimus Angelos omnia nosse.

Ad secundam dico : Filium non scire ad dicendum ulli omnino, sed intelligo de Filio ut homo est, quomodo non fecit scire Spiritum sanctum : solus autem Pater dicitur scire, quia fecit scire Christum hominem, ut Augustinus dicit lib. I de Genes. cont. Manich. cap. 22. quod autem convenit Patri, convenit etiam aliis personis, quæ sunt ejusdem naturæ; itaque idem est ac si dixisset : *Nemo scit nisi Deus*.

Ad ultimam Scripturam dico : impiam esse blasphemiam, quod Christus sine spiritu oraverit aut correxerit, vel revocaverit orationem suam. Nam de eo scriptum est : *Qui peccatum non fecit*, I Pet. VII. Et *Qui pecca-*

(1) Gen. XXII, 12; Joan. XV, 15; XVI, 12. — (2) Marc. XIII, 32. — (3) Coloss. II, 3.

tum non norit, II Corinth. V (1). Et Patres passim docent, Christum non solum non peccasse, sed nec peccare potuisse. Vide Athanasium Orat. 2. cont. Arian., Cyrillum lib. X in Jo. cap. XI. et Augustinum in Enchir. cap. 36 et 40 et alios.

At Scriptura ait, illum dixisse: *Pater si possibile est*: vel sciebat igitur utrum esset possibile, vel non sciebat. Si non sciebat, ergo aliquid ignorabat. Si sciebat esse possibile; quare dubitando loquitur? Si sciebat esse impossibile; quare petit? Præterea, cum dicit *Transfer calicem hunc*, videtur repugnasse rectæ rationi, et voluntati Patris, nam ad hoc venerat ut pateretur. Denique cum addit: *Non mea, sed tua voluntas fiat*, videtur aperte emendare quod prius petierat.

Respondeo: illud *Si possibile est* significare *Si placet tibi*: sciebat enim, Deo nihil esse impossibile; sed petit, an sit possibile secundum Dei beneplacitum, et patet hoc ex aliis Evangelistis. Nam quod ait Matth. XXVI: *Si possibile est*, dicit Marci XIV: *Omnia tibi possible sunt*. Et Lucæ XXII: *Pater, si vis, transfer etc* (2). Dicit autem *Si vis*, non quod ignoret, Patrem nolle, sed ut ostendat, affectum naturalem suæ voluntatis ad fugiendam mortem conjunctum cum omni subjectione ad paternam voluntatem. Est enim idem ac si diceret: « Volo ut non fiat quod volo, id est, volo voluntate deliberata, quæ respicit objectum cum omnibus circumstantiis; ut non fiat id quod ego volo voluntate naturali, quæ refertur in objectum secundum se tantum consideratum. » Neque sunt contrariæ hæ voluntates, nam non sunt circa idem eodem modo consideratum. Et præterea, una est potius velleitas, quam voluntas.

Dices: quare Christus orando voluit exprimere illam voluntatem naturalem, quam sciebat non implendam? Respondeo cum Chrysostomo in hunc locum: ut ostenderet se esse verum hominem, et vere doluisse, ac passum, et mortuum esse; si enim, cum tam sæpe expresserit naturales affectus, adhuc plurimi fuerunt hæretici negantes Christi veram carnem et passionem, quid fieret si nullum talem affectum ostendisset?

Præterea, voluit hoc exprimere, ut doceret nos, non ægre ferre, cum non impetramus a

Deo id quod petimus: Christus enim in hac oratione partim fuit auditus, partim non auditus. Auditus fuit in eo quod absolute petebat, juxta illud Jo. XI: *Sciebam, quia semper me audis*: non fuit autem auditus in eo quod petiit ex naturali affectu, juxta illud Psal. XXI: *Clamabo per diem, et non exaudies* (3).

CAPUT VI.

Proponitur questio secunda, quæ est de descensu ad inferos.

Quæritur 2. An et quomodo Christus ad inferos descenderit. Ac primum omnes conveniunt, quod Christus aliquo modo ad inferos descenderit: nam et Scripturæ passim hoc docent, ut Act. II: *Non derelinques animam meam in inferno*. Et Ephes. IV: *Descendit in inferiores partes terræ*. Et præterea in Symb. Apost. legimus: *Descendit ad inferos* (4).

Est autem observandum, hanc particulam olim non fuisse in Symbolo apud omnes Ecclesias. Nam Irenæus lib. I, cap. 2. Origenes init. lib. *περί δόξης*, id est, de principis, et Tertullianus init. lib. cont. Prax., et lib. de de vel. virg., explicant regulam Fidei ab Apostolis traditam, et non meminerunt hujus particulæ, sed a Sepultura transeunt ad Resurrectionem. Item Augustinus lib. de Fid. et Symb., et IV lib. de Symb. ad Catech. non meminit hujus partis, cum totum Symbolum quinquies exponat.

Ruffinus in explicat. legit et explicat hanc particulam, sed monet, non haberi in Symbolo Romanæ Ecc. esie, nec apud Orientales; tamen implicite contineri in articulo de sepultura, quia sicut corpus descendit ad locum corporum, ita anima ad locum animarum. Porro Cyrillus Catech. 4 et 14 et Chrysostomus hom. 2. de Symb., legunt, et exponunt hanc particulam, et hoc tempore habetur ubique. Et ita etiam legunt Catechismus Lutheri major et minor: item Catechismus Calvini, Brentii, et aliorum. Ita quoque legunt Centuriatores Centur. I, lib. II, et ca.

4. et Petrus Martyr in libel. de Symb. Imo Calvinus lib. III Inst. cap. 16. §. 8 dicit, hunc articulum in præcipuis habendum esse.

Pari ratione in Symbolo Nicæno hæc particula non habetur, in Symbolo Athanasii habetur; et cum hæc Symbola inter se non pugnent, certum est, saltem implicite hanc particulam deesse non posse. Unde Anselmus in lib. de proces. Spir. S., dicit, hunc articulum non esse in Symbolo Nicæno, et tamen recipi summo consensu ab omnibus Ecclesiis Orientis et Occidentis.

At questio tota est de explicatione hujus articuli: quatuor autem invenio expositiones adversariorum, de quibus ordine disputandum est.

CAPUT VII.

Quod descendere ad inferos non sit omnino extingui.

Prima sententia est, quod descendere ad inferos sit penitus interire et extingui. Brennius in Catech. anni 1551 dicit, descendere ad inferos, esse penitus interire. Et in Act. introducit Christum sic loquentem: « Descendam in infernum, sentiam dolores inferni, et plane periisse videbor. »

Item Calvinus in Psychopannychia, volens probare animas justorum post descensum a corpore non dormire, id est, non extingui, ut quidam Anabaptistæ aiunt, quos in toto libro refellit; probat ex anima Christi, quæ post separationem a corpore, non est extincta, nec absorpta a morte, sed immortalis mansit. Et hoc dicit significari illis verbis Act. II: *Non derelinques animam in inferno* (1). « Hæc nobis, inquit, certissimam fidem faciunt, Christum extingui morte non potuisse, etiam secundum hominem. Vera mors fuit corporis et animæ solutio; cæterum anima vitam suam numquam perdidit, quæ Patri commendata, non poterat non salva esse. Id voluit verba ex concione Petri, quibus affirmat, impossibile fuisse teneri ipsum a morte, ut Scriptura impleteretur, Quoniam non derelinques animam meam

in inferno. Nam anima ejus divina virtute suffulta est, ne in perditionem rueret, et corpus ejus in sepulcro servatum ad resurrectionem etc. »

Videtur certe hoc loco Calvinus, per infernum intelligere perfectam extinctionem animæ; probat enim, animam Christi in morte corporis non fuisse extinctam, quia anima ejus non fuit absorpta ab inferno. Quid igitur est Calvinus, absorberi ab inferno, nisi animam penitus extingui? Sed paulo post id ipsum clarius declarat; sic enim ait: « Præbet et nobis aliud argumentum immortalitatis animæ suæ, cum Jonam triduo immersum in ventre ceti, mortis suæ tyrum constituit. Venter ille mors est, animam igitur salvam in morte habuit. » Et infra probat ex sacrificio Isaac: « Quid est, inquit, quod Isaac non moritur, nisi quia quod proprium est homini, immortale Christus prestitit, hoc est, animam? Arius vero animal irrationale, qui in ejus locum ad mortem substituitur, corpus est. »

Hæc sententia non eget refutatione: nam est fundamentum Atheismi. Si enim Christus, quia Divinitate suffultus erat, animam immortalem retinuit in morte corporis; ergo ceteri homines, qui non sunt suffulti Divinitate, in morte penitus extinguuntur; non igitur anima humana est immortalis.

Dicent fortasse: pius non extingui morte, quia pro se et pro suis Christus mortem vitavit. Ergo saltem omnes impii extinguuntur penitus; et hoc est descendere in infernum. Negat id in fine libri Calvinus, ubi asserit, etiam impios vivere post mortem, licet in pœnis. At hoc non bene coheret cum superioribus: aut enim ipse non bene probat, Christi animam mansisse immortalem ex eo, quod divinitati conjuncta non est permissa ruere in infernum: aut certe sequitur, animas impiorum quæ in infernum ruunt plane extingui. Præterea, S. Petrus, Act. II, non dixit, Christi animam non fuisse in inferno, sed non ibi longo tempore relictam. Et in Symbolo nomine legimus *Descendit ad inferos*? ergo si descendere ad inferos est interire, etiam Christi anima interiit, licet postea fuerit excitata: at hoc ipsum est, quod voluit Anabaptistæ; igitur Calvini sententia, et seipsam destruit, et Atheismo vivam aperit.

(1) Act. II, 27.

(1) I. Petr. II, 22; II. Cor. V, 21. — (2) Matth. XXVI, 39; Marc. XIV, 36; Luc. XXII, 42. — (3) Joan. XI, 42; Psal. XXI, 3. — (4) Act. II, 27; Eph. IV, 9.